J. N. J.

DISPUTATIO MEDICA
DE
SUCCI NUTRITII
Statu Naturali & Præternaturali,

QUAM
Volente DEO
IN ILLUSTRI ACADEMIA MARBURGENSI
Sub PRÆSIDIO

DN. JOH. DANIELIS
DORSTENII,
MEDIC. DOCT. EJUSDEMQUE. PROF.
ORDINARII, NEC NON P. T. DECANI,
Fautoris sui multis nominibus colendi,

Publico Philiatrorum Examini
Subjicit

AUCTOR & RESPONDENS,
JOH. WILHELMUS OTTO
EGGERS,
WIDENB. WESTPHALUS.

D. 17. Febr. H. L. C.

MARPURGI CATTORUM,
Typis JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.
ANNO MDCLXXXIII.



J. N. J.

PRÆLOQUIUM.



Uod Poëtis Cornucopiæ aut Pandoræ pyxis, hoc ipſum œconomiæ animali eſt ſanguis, qui tam benignum & largum in illa ſe ſe gerit, ut ex ejus ſinu velut è Cornu Copiæ, omne, quid integritatis, roboris ac vitæ habeat, partibus humani corporis ſtatuam componentibus ſuppeditetur, dum nimirum ex ſexcentis partibus conflatus, cuilibet viſceri per certa fermenta & ſpirituoſos ſuccos ſuam afflat activitatem & energiam, quâ mediante illam à natura ſibi conceſſam perficit & abſolvit functionem: quinimò ſi hac ratione aliis inſerviendo ipſe non rarò conſumatur & viribus

orbetur ſui ipſius quaſi memor, tam beneficus rurſus eſt, ut ſe ipſum intra cordis thalamos reſtaurare, reficere ac conficere valeat. Quodſi verò pretioſus hic vitæ theſaurus in vaſis ſuis cumuletur nimis luxurietvè vel diſcraſiam quandam aut malignitatem induat, virulentum profectò ex balſamo tali vitæ prodit toxicum, ex quo funeſtiſſima quæque mala, quaſi Pandoræ pyxis aperiretur, per univerſam œconomiam animalem diffunduntur, minitantia ipſi interitum ac ruinam; quod ipſũ partes humani corporis nutriendi ſatis ſuperq; etiam evinciunt, qui à ſanguine generoſo laudabili, à corrupto verò & depravato perverſo etiam ac crudo donantur nutrimentô. Quo propoſitum meum jam etiam reſpicit, dum nutritionis & augmentationis negotiũ tam in ſtatu naturali quam præternaturali brevioribus theſibus deſcribere conor. Supremum Numen Conatui huic annuat clementiſſimè.

THESIS



THESIS I.

Cibus in ore atque ventriculo in massam chylosam conversus per ductus chyliferos mesenterii, & thoracis devehitur ad venam axillarem sinistram, & cnm sanguine per venas refluo, præviâ rarefactione in cordis ventriculis, nec non transitu per pulmonum concamerationes, in sanguinem mutatus, ex sinistro cordis ventriculo in arteriam magnam irruit, per totius corporis ambitum distribuitur, ac demum rursus ad cor redit, qui sanguinis motus aliàs dicitur circulatio.

THESIS II.

NOn tamen videtur omnem chylum unico illo per cor transitu in sanguinem mutari, sed sanguificationem inter circulandum multum adhuc exaltari plurimasve chyli partes in sanguine è corde emisso adhuc reperiri, quod vel ex eo liquet, dum sanguis una vel altera hora à prandio per venæ sectionem extractus copiosum chylum sive lac, in superficie ostendit, quod serosius ac tenuius multò solet esse, si post elapsas quinque vel sex horas à prandio idem tentare annitaris: sic facit *Excellentissimus Dn. D.* Waldschmied in suis institutionibus mentionem liquoris cujusdam, quô sanguis ita præcipitari potest, ut oculis sese exhibeat lac copiosissimum.

THESIS III.

QUem ſanguinis & Chyli in orbem itum ac reditum potiſſimùm promovet cordis arteriarumve pulſus, quando nimirum, in ſyſtole cordis, mucrone baſin verſus contractô, ventriculi intumeſcunt atq; ſanguis à fibrarum renixu & preſſione è dextro ventriculo in pulmones atq; è ſiniſtro in aortam propellitur ; in diaſtole verò mucro remittens ac rurſus propendens, ſanguini per venam cavam & venam pulmonalem in cordis ventriculo recens adducto, introitum rurſus concedit, quod, quoties fit, cor pulſat: Et cum arteriæ propter continuitatem fibrarum cordi adhæreant, ſimili motu concutiuntur, ut pulſus aliud nihil ſit, quam repetitæ cordis & arteriarum diſtenſiones.

THESIS IV.

ARteriæ verò ex auguſto ad anguſtum terminatæ, in iſta diſtenſione vim quandam patiuntur, atque per tunicarum, quas anatomia duplices eſſe docet, intumeſcentiam earundem pori admodum dilatantur & ampliores efficiuntur, quo fit, ut patula tranſcendendi via concedatur partibus ſanguinis chyloſis, ſpirituoſis, aquoſis ſalinis, butyroſis, caſeoſis &c. verbo lacteis, quæ propter continuitatem, quam cum arteriis habent in tubulos partium nutriendarum effuſæ, ſuccus nutritius appellantur, atq; nutritionis & augmentationis opus abſolvunt,

non-

nonsolùm in regno animali, verùm etiam in minerali & vegetabili, ubi quamplurima fossilia & herbas succos lactescentes fundere, experientiâ quotidianâ constat, hinc ortum est ttitum illud de Esula,

Esula lactescit, sine lacte linaria crescit.

Quâ de re si plura quis desideret in memoriam revocet illa quæ de succo nutritio rerum nutriendarum præfatus Vir *Excellentissimus Dn. D.* **Waldschmied** commemoravit, cùm solennibus ritibus Medicinæ Doctores crearet.

THESIS V.

EST itaq; humor nutriens & alimentum verum lac partium flexibilitate & mollitie gaudens, quod ratione figuræ, situs, motus & magnitudinis particularum varietate gaudens, variis etiam machinæ humani corporis partibus nutriendis par est & sufficiens, dum è tubulis partium solidarum exceptum, illas pro nutritione à tergo relinquit particulas, quæ proportionem ac similitudinem quandam inveniunt in fibrarum superficiebus, istæ sensim sensimque juxta se invicem quiescendo apponuntur partibus, eas nutriunt atque augent, est enim quies tam potens gluten, quo nullum excogitari potest tenacius.

THESIS VI.

QUo ipso facilè dixerim, non omnem illum chylum sive lac à sanguine recedens & per arteriarum poros

ros pulſum, ſtatim nutrire, ſed duplicis generis particulas, præ aliis potiſſimùm à nutritione facere divortium; priores ſunt, quæ præ aliis commotiores ſunt & volatiliores exiſtunt, certum enim eſt ſanguinis vitam in perenni quâdam, eâq; blandâ, poſitam eſſe fermentatione, ad hanc verò conſervandam partium vehementiùs aliquantò exagitatarum ſive ſpirituoſarum requiritur affluxus & activitas, utpote ſine quibus fermentationes, quæ à particularum minimarum commotione vigorem nanciſcuntur, nunquam ſubſiſtunt, adeoq; cùm ſanguis, quamdiu vivit, fermentatione hac vitali ſemper gaudeat. Faciliùs nihil eſt, quam ut multæ ſpirituoſæ una cum aliis ſimul per dictos arteriarum poros tranſudent, atque cœteris ſucci nutritii partibus ſeſe aſſocient, earumque motum accelerent, quæ tamen ratione agilitatis & mobilitatis ſuæ diu, ubi verſantur, moram non trahunt, ſed celeriori pede fugam arripiendo per inſenſibilem illam tranſpirationem evadunt & tenues evaneſcunt in auras.

THESIS VII.

NAm reverâ corpus noſtrum poroſiſſimum eſt, & valdè tranſpirabile, patulas undiquaque humoribus exagitatis præbens vias, cujus rei *Sanctorius* in medicina ſua ſtatica evidens eſt teſtis, aut ſi vulgare cuiquam placeat experimentum, ille ſaltem ſpeculo vel ſtanno polito admoveat digitum & brevi maculam, ab aurâ inſenſibiliter tranſpirante ipſi afflatam, obſervabit.

THESIS VIII.

POsterioris generis sunt, quæ à nutritione residuæ per vasa lymphatica sub humorum circulantium nomine per vigorem spirituum animaliũ denuò versus eos revertuntur, ibidemque sanguini associantur ac cum eo rarefiunt, hinc videmus minorem proportionem succi nutritii abire in nutrimentum & corpus nostrum indesinenti obnoxium esse alterationi & corruptioni, nati enim desivimus esse.

THESIS IX.

EX hactenus dictis facilè deduci potest, qui fiat, quare in annis juvenilibus floridè adolescamus & pleniùs nutriamur, quàm in ætate decrepida & ad tabidam senectutem declinante; rursus , cur nunc pinguescant multi, nunc verò etiamsi genio abblandiantur marcescant. Resp. evenire hoc, dum fibræ partes solidas componentes in tenerâ ætate molliores ac magis plumeæ sunt, & distensionem facilè admittendo majora formant interstitia atque tubulos ampliores, ut plus nutrientis lactis & chyli affluat & filamentis adhærescat, quam de iis deperdatur & exspiret, quô ipso perennetur tam nutritio quam augmentatio; pinguescimus verò si musculorum aliarumque partium tubulos repleant particulæ pingues, molles, ramosæ & oleosæ, quæ à materia subtili languidiùs impulsæ diuturniorem moram ibidem nectunt copiosius fibris agglomerantur & pinguedinem constituunt.

THESIS X.

QUod si temporis successu pori propter fibrarum duritiem angustiam quandam contrahant, earumque superficies attereretur, ac ita mutetur, ut non amplius respondeat dispositioni ac configurationi partium succi nutritii, cessat tunc commoda ejusdem distributio & adhæsio, dum ratione duritiei & inflexibilitatis fibrarum & mutatam superficiem adhærescere, nec ob pororum angustiam partibus nutriendis communicari & assimilari nequit, hinc macies & senectus lento gradu nos deprehendit.

THESIS XI.

QUid de vulgata illa Medicorum opinione, qui sanguinem sub forma sanguinis nutrientem defendunt nunc sit judicandum, luculenter ob oculos poni potest, siquidem abundè constat, sanguinem tanquam humorem maximè heterogeneum ex acidis, salsis, amaris, insipidis, aliisque sexcentis particulis conflatum, secundùm singulas hasce partes neutiquam nutrire posse, tantum enim abest, ut acriores & salinæ nutritionis beneficio partes nutriendas afficere possint, quin potiùs eidem valdè adversentur & nutrimento privent, uti demonstratur in Thesi XVIII. & profectò longè alia subest ratio, cur in sanguine tot tantæque coeant particulæ, ut videlicet iter ejus circulare nec non vitalis fermentatio perennetur.

THESIS

THESIS XII.

QUinimò si sanguis sub formâ sanguinis nutriret, præ aliis pinguescerent partes sic dictæ sanguineæ & pulmones præprimis, utpote sanguine semper ebrii, brevi in immmensum augerentur, quod tamen fieri nunquam observatur: Cæterùm exponat mihi quispiam ex antiquitatis cultoribus, qui fiat ut sanguis salvâ existente fermentatione vitali ac motu arterias egrediatur ac extravasetur, (quod tamen erat necessarium, si nutriat) ac à venis absorbeatur, cordique rursus inferatur, cum tamen sole meridianô clarius sit, sanguinem semel extravasatum omni exui activitate & avolantibus partibus balsamicis abire in grumos, quos rectiùs venenum quam nutrimentum dixeris. Denique à parte nostra velut testes adhuc stant chyrurgi utpote qui vulneris sanationem nunquam ex cruore sed potiùs liquore chyloso è vulneribus emanante prædicunt. Adsunt plures rationes & experimenta, quæ brevitatis studio lubens prætereo.

THESIS XIII.

ATque hæc de succo nutritio naturaliter disposito dicta sufficiant, delibandus nunc est breviter ejusdem status præternaturalis, quem sub triplici larva in scenam introduco: Læditur enim nutritio 1. quando imminuitur & deficit, ut in atrophia, phthisi, hectica, scorbuto &c. 2. cùm augetur nimis, ut in obesis & cor-

pulentis. 3. quando depravatur, ut in Cachexia, leucophlegmatia, hydrope &c.

THESIS XIV.

QUalis cibus, talis chylus; qualis chylus, talis ſanguis, qualis ſanguis, talia viſcerum ſunt fermenta, tale partium nutriendarum alimentum: talis ſanitas: quotiescunq; igitur chylus in ventriculo ad convenientem pneumatoſin non exaltatur, & in ſinu adhuc fovet multas particulas viſcidas, glutinoſas, acidas, ſalſas, verbô crudas, quæ ſanguini immixtæ eundem diſcraſiâ ſtatim inquinant, ita ut inducat intemperiem modo acrem & ſalſam, pituitoſam, modo etiam pro largiendo laudabili ſuccu nutritio prorſus ineptam atrophiam, & nutritionis defectum cauſantem, ſic vitium in prima coctione commiſſum nunquam corrigitur vel in ſecunda vel tertia.

THESIS XV.

HInc provenit, quod infantes emacientur dum lac in tenellis illorum ventriculis ſubinde commutatur in mucum acidum & crudum, qui vaſa lactea & Meſenterii glandulas glutine ſuo infarciens, omnem nutrimento tranſitum ad cor denegat, aut ſi adhuc pars ejus ſub deformi tali facie eo pergat, exinde tamen obſtruentur partium nutriendarum tubuli, ita ut ſuccus nutritius partes ſolidas circumire neſciat & tenera hæc ætas tabe pereat.

THESIS

THESIS XVI.

SCorbuticorum & hecticorum ſanguis maximam ſubinde acrimoniam contrahit, dum è ventriculo veluti è minera quadam affluit chylus acris, ſalſus & corruptus, ſanguinem ita diſtemperantem, ut nutrimentum potius conſumatur, quam reſtituatur: Non rarò tamen ventriculus extra culpam eſt, utpote qui, quamvis cibos in convenientem chylũ redigat, hic tamen ad cor devenire nequit dum poſt eroſiones & exulcerationes tunicæ inteſtinales calloſam quandam duritiem contrahant, vaſorum lacteorum orificia occludens, hinc illi, qui è graviori dyſenteriâ evaſerunt, utplurimùm lentâ tabe & atrophiâ, cum fluxu alvi chyloſo, dies vitæ conſumunt, ſic enim denegato chylo tranſitu ad cor, partes ſanguinis balſamicæ deperduntur & acrimonia ſalina intenditur.

THESIS XVII.

HAurit tamen ſanguis etiam aliis ex fontibus ſuccum nutritium depauperantem acrimoniam ex ulceribus videlicet præprimis pulmonum, quos exulceratos & purulentos quando tranſit, ſemper portionem puris acrioris imbibit, donec acredo in eo ita augeatur, ut omni virtute nutriente ſpoliatus efficiat, ut fidiſſimus Phthiſicorum comes ſit tabes & atrophia.

THESIS XVIII.

DEficit itaque nutritio, carnoſaque corporis ſubſtantia conſumitur propter ſanguinis & humorum intemperiem acrem & vim rodentem, ita ut loco partium lactearum in tubulos egrediantur acres, ſalinæ, rigidæ & ſcindentes, quæ non modò ob rigiditatem non nutriunt nec fibris adhærent, verùm etiam partes perfodiendo corrodunt, nutrimentum à fibrarum ſuperficie abradunt & ſecum vel per inſenſibilem tranſpirationem abripiunt, vel ad ſanguinem reducunt, tamdiu donec cutis vix oſſibus hæreat & labatur exiguo, quod partum erat tempore longo. Vel nutritionis negocium languet, ubi ob ſanguinis viſcoſitatem obſtructiones parientem ſucci nutritii diſtributio impeditur. Hic nunc quilibet clariſſimè perſpicit, nullum nectar corporibus emaciatis tanto eſſe ſolatio, quàm candidum lac humorem nutrientem in corpore conſumptum laudabili reſtituens ſucceſſu.

THESIS XIX.

AUgetur & ſtatutos terminos transgreditur nutritio in corpulentis & obeſis, quorum videlicet viſc era integrâ gaudent conſtitutione, cibi & potus boni ſucci largiori manu ingeruntur præſente mente hilari & tranquilla, vita eſt ſedentaria cum dulci quiete & otio, quæ enim partes in tali corpore prædominari magis poſſunt,

quam

quàm molles, flexiles, & chylosæ, quæ sese partium nutriendarum fibris copiosius aglomerantes atque in ipsis tubulis partium sibi invicem adhærescentes nutritionem & augmentationem ita adaugent, ut corpus nimis pingue & obesum existens sibi ipsi quasi oneri sit & molestiæ.

THESIS XX.

DEnique nutritio depravari solet in Cachexia & hydrope, qui affectus potissimùm sese manifestant per faciei colorem ex pallore livescentem, verum equidem est cutis colorem humoris sub eâ delitescentis esse æmulum, hinc roseâ & purpureâ multi incedunt facie, quorum sanguis Cacochymiâ non ità infectus à corde torrentis instar purpure suo amictus ad quascumque corporis regiones ablegatus, angustissimaque vasa, eaque quæ cuti vicinia sunt & capillaria vocantur, liberò pede transit, quo ipso etiam succo nutritio nacto à spiritibus animalibus vigore per tubulos partium solidarum & cutis trajicienti nullus interponitur obex, quod tamen longe aliter in modò dictis procedit morbis, ubi rursus contracto errore & cruditate in primis viis chylus crudam, aquosam, viscidam & terrestrem intemperiem san-

ſanguini conciliat, & quaſi vappeſcentem reddit, ut loco partium chyloſarum in nutrimentum abeant aquoſæ & craſſæ, tales reverà, quæ ad circulandum ineptæ reſtagnant ſub cute & quidem eò faciliùs, cum ex tali ſanguine pauciores generentur ſpiritus, fruſtratur etiam eorundem influxus & debito vigore tunc carentes, in pororum interſtitiis coërciti vappeſcunt & habitus corporis inducitur cadaveroſus tantâ contumaciâ inhærens donec vitæ imponatur F I N I S.



SUPPLEMENTA.

I.

Ventriculus non chylificat.

II.

Coctio non fit per elixationem ſed fermentationem.

III.

Fermentum ex ſanguinis arterioſi particulis valdè activis acido-ſalinis, cibi reliquiis ipsâque ſalivâ componitur.

IV.

Pylorus non eſt digeſtionis moderator.

(o)